A

DE MEDVLLIS CAP. XXIII.

CERVINA MEDVLLA laudatissima est. Colligitur, præparatur, & reponitur ut bubulina. * Ceruina peruncto uenenata fugiũt. Mollit, rarefacit, ulcera explet, &c. Dioscorides.

VITVLINA secundum locum in bonitate obtinet. Colligitur eodem tẽpore, eodemq; modo cõficitur, ut bubulina. * Vim habet indurata & scirrhosa corpora emolliendi, siue musculis, siue tendonibus, siue ligamentis id accidat, siue etiam uisceribus. Pessi ex hac componuntur, uteros emollientes. Galenus.

BVBVLINA medulla tertium in bonitate locum habet: ex florenti tauro sumitur, ex ossibus, colligiturq; æstatis exitu, hyemis initio. Reponitur autem uel per se, lota tantùm, & ab omni immundicia repurgata, loco sicco, in uase figulino uitreato, & obturato: uel lento admodum igne, uel uase duplici liquata: postea per pannum densiorem colata, & in loco frigido seruata. * Calfacit, mollit, rarefacit, ulcera explet, &c. Dioscorides.

HIRCINA medulla quartum in bonitate ordinem tenet: * acrior ac siccior est. Colligitur atq; præparatur ut præcedentes, &c.

B

DE SANGVINE

CAP. XXIIII.

SANGVIS cuius in medicina usus, ex multis animalibus colligitur, dum adhuc ætate florenti sunt. Sanguis hircinus in hunc modum paratur. Maturescente uua hircus quadrimus, bene habitus, iugulatur, mediusque effluens sanguis fictili bene cocto excipitur (nam primus tenuior, postremus crassior putatur:) deinde coctus in aqua donec concrescat, arundine fissa secatur obliquè & transuersim, ut quod in eo aqueum est, effluat, deinde linteo raro tectus soli exponitur, atq; ita siccatur: curandum interea, ne pluuijs aspergatur: deinde tritus uase uitreo, aut fictili uitrato bene obturato reponitur. Alij hircum diebus canicularibus, herbis calculum frangentibus nutriunt, & uino albo odorato, donec urina nigrescat: deinde iugulãt, & in eum quem suprà diximus modum præparant. Hoc præparationis genus etsi inutile non uideatur, necessarium tamen non est, cum apud Græcos sanguinis hirci non eo modo nutriti, etiam usus fuerit: sed medicamenta calculum frangentia admiscebantur. * Sanguis anseris, anatis, & hœdi, utilissimè in antidota miscentur. Palumbi autem, turturis, & columbæ, nec nõ perdicis, oculis cruore suffusis, & recentibus eorum uulneribus, lusciosisq; illinuntur. Peculiariter columbæ sanguis, cruorem membranis cerebri erumpẽtem inhibet. Hirci, capræ, cerui, & leporis sanguis inassatus sartagine, dysen-

terias, & cœliacorum profluuia sistit: in uino potus contra toxica efficax est. A
Leporinus sanguis ita ut tepet illitus, uitia cutis in facie, lentiginesq; emaculat. Caninus cõmodè ab his bibitur, quos efferata in rabiem bestia momorderit: contra epotum toxicum auxilio est. Testudinis terrestris sanguinem epotũ tradũt prodesse comitialibus. Marinæ aũt testudinis cum uino, & leporis coagulo, cuminoq;, contra serpentium morsus, & hausta rubetæ uenena conuenienter bibitur. Taurinus cum polenta illitus, duritias discutit, emollitq;. Sanguis equarum, quæ admissuram expertæ sunt, in medicamenta additur quæ erodunt: septica uocant. Sanguine chamæleonis genarum palpebras euelli creditum est. Hoc idem uiridium ranarum sanguine præstatur. Menstruus sanguis fœminarum, circumlitu conceptum inhibere existimatur: aut si omnino mulier menstrua supergrediatur. leuat podagræ dolores, & ignem sacrum, illitus. Dioscorides & Florentini.

DE PINGVEDINE, ADIPE ET SEVO CAP. XXV.



B

HVMANA